

A
B
C
D
E
F
G
H
I
L

11. VENULEIUS Saturninus, lib. 2, de officio Proconsulis. Si quid erit, quod majorem animadversionem exigat: rejicere legatus apud proconsulem debet: neque enim animadvertendi, coercendi, vel atrociter³⁴ verberandi jus habet.
12. PAULUS, lib. 2, ad Edictum. Legatus mandata sibi jurisdictione, iudicis dandi³⁵ jus habet.
13. POMPOSIUS, lib. 40, ad Quintum Mucium. Legati proconsulis nihil³⁶ proprium habent, nisi a proconsole eis mandata fuerit iudicatio.
14. ULPIANUS, lib. 20, ad legem Juliam et Papianam. Proconsoles non amplius, quam sex fascibus utuntur.
15. LICINIUS Rufinus, lib. 3 Regularum. Et legati proconsulum tutores³⁷ dare³⁸ possunt.
16. ULPIANUS, lib. 2, ad Edictum. Proconsul portam Romae ingressus, deponit imperium.

TIT. XVII.

DE OFFICIO PRÆFECTI AUGUSTALIS.

ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum.

Præfectus³ Aegypti non prius deponit praefecturam et imperium, quod ad similitudinem proconsulis, lege sub Augusto ei datum est, quam Alexandriam ingressus sit successor ejus: licet in provinciam venerit, et ita mandatis ejus continetur.

TIT. XVIII.

DE OFFICIO PRÆSIDIS.

1. MACER, lib. 1, de officio Praesidis. Praesidis nomen generale est: eoque et proconsoles, et legati Caesaris, et omnes provincias regentes, licet senatores sint, praesides appellantur: proconsulis appellatio specialis est.
2. ULPIANUS, lib. 26, ad Sabinum. Praeses apud se adoptare potest, quemadmodum et emancipare filium, et manumittere⁴ servum potest.
3. PAULUS, lib. 15, ad Sabinum. Praeses [provinciae] in sua⁵ provincia homines tantum imperium habet: et hoc, dum in provincia est: nam si excesserit, privatus est. Habet in terdum imperium et adversus extraneos⁶ homines, si quid manu commiserint: nam et in mandatis principum⁷ est, Ut curet is qui provinciam praestat, malis hominibus provinciam purgare: nec⁸ distinguitur, unde sint.
4. ULPIANUS, lib. 59, ad Edictum. Praeses provinciae⁹ majus imperium in ea provincia habet omnibus post principem.
5. Idem, lib. 1, de omnibus Tribunalibus. Praeses provinciae non magis tutorem⁸, quam specialem iudicem, ipse se dare potest.
6. Idem, lib. 1 Opiniorum. Illicitas exactiones, et violentia factas, et extortas metu venditiones⁹, et cautiones, vel sine pretii numeratione prohibeat praeses provincia. Item, ne quis iniquum lucrum aut dampnum sentiat, praeses provincia provideat.

34. L. 12, in pr. infr. de iure fisci. junct. l. 7, § 2, infr. de injur.—35. l. 12, § 1, infr. de iudicis.—36. Vide tamen L. pen. in pr. infr. de offic. ejus, cui mand. jurisd.—37. L. 1, § 1, infr. de tutor. et curat. datis ab his.—38. Adde L. 1, § 2, infr. de suspect. tutor. Tr. XVII.—1. Lib. 1, C. 37, Edict. 15, Justin. — 2. L. 38, § 3, infr. quib. et caus. major. l. 1, in pr. infr. de tut. et curat. datis ab his; l. 21, infr. de manumiss. vind.; l. 2, § 4, infr. ad leg. Cam. de fals. l. 1, C. de postul. Tr. XVIII.—1. Lib. 1, C. 40, N. 24, 25, 29, 104, 161.—2. L. 5, infr. de manum. vind.—3. L. 1, in fin. infr. de tutor. et curat. datis ab his.—4. L. 11, infr. de custod. et exhibit. reor.—5. N. 17, c. 2 et 5.—6. N. 8, c. 24; l. 7, in fin. infr. de captiv. et postul. revers.—7. L. 8, supr. de offic. procon.—8. L. ult. supr. de offic. praesid. l. 4, infr. de tutor. et

dentia prohibere, et deprehensa coercere praeses provincia curet: et sub specie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat.—§ 4. Neque licita negotiatione aliquos prohiberi, neque prohibita exerceri, neque innocentes penas irrogari, ad sollicitudinem suam praeses provincia revocet.—§ 5. Ne tenuis vite homines sub praetextu adventus officiorum, vel militum, lumine unico, vel brevi suppellectili ad aliorum usus translatis, injuriis vexentur, praeses provincia providebit.—§ 6. Nequid sub nomine militum, quod ad utilitates eorum in commune non pertinet, a quibusdam propria sibi commoda inique vindicanibus committatur, praeses provincia provideat.—§ 7. Sicuti medico¹⁰ imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam¹¹ commisit¹², imputari ei debet: praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.—§ 8. Qui universas provincias regunt, jus gladii habent: et in metallum dandi potestas eis permissa est.—§ 9. Praeses provinciae, si multam¹³, quam irrogavit, ex praesentibus facultatibus eorum, quibus eam dixit, redigi non posse deprehenderit: necessitatem solutionis moderetur¹⁴, reprehensa exactorum illicita avaritia. Remissa propter inopiam multa a provinciis regentibus, exigi non¹⁵ debet.

7. Idem, lib. 3 Opiniorum.

Praeses provinciae, inspectis aedificiis, dominos eorum, causa cognita¹⁶, reficere ea compellat: et adversus detractantem, competenti remedio deformitati auxilium ferat.

8. JULIANUS, lib. 4 Digestorum.

Saepe adivi Caesarem nostrum dicentem, hac rescriptione, *Eum, qui provinciam praestat, adire potes*, non imponi necessitatem²⁰ proconsuli, vel legato ejus, vel praesidi provinciae, suscipiendae cognitionis: sed eum aestimare debere, ipse cognoscere an iudicem dare debeat.

9. CALLISTRATUS, lib. 4, de Cognitionibus.

Generaliter, quotiens princeps ad praesides provinciarum remittit negotia per rescriptiones: veluti, *Eum, qui provinciam praestat, adire potes*: vel, cum hac adjunctione, *Is aestimabit, quid sit partium suarum*: non imponitur necessitas proconsuli, vel legato suscipiendae cognitionis, quamvis non sit adjectum, *Is aestimabit, quid sit partium suarum*: sed is aestimare debet, utrum ipse cognoscat, an iudicem dare debeat.

10. HERMOGENIANUS, lib. 2 juris Epitomarum.

Ex omnibus causis, de quibus vel praefectus urbi, vel praefectus praetorio, itemque consules, et praetores, caeterique Romae cognoscunt, correctorum²¹ et praesidum provinciarum est notio.

11. MARTIANUS, lib. 3 Institutionum.

Omnia enim provincialia desideria, quae Romae varios iudices habent, ad officium praesidum pertinent.

12. PROCLUSUS, lib. 4 Epistularum.

Sed licet is qui provinciae praestit, omnium Romae magistratum vice et officio fungi debeat, non²² tamen spectandum est quid Romae factum est, quam quid fieri debeat.

13. ULPIANUS, lib. 7, de officio Proconsulis.

Congruit bono et gravi praesidi curare, ut pacata atque quieta provincia sit, quam regit: quod non difficile obtinebit; si sollicitus agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirit²³: nam et sacilegos²⁴, latrones, plagiaros, fures²⁵ conquerere debet: et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere: receptoresque²⁶ eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest.

§ 1. Furiosus, si non possint per necessarios contineri, eo remedio per praesidem obviam eundem est, scilicet, ut carcere continentur: et ita D. Pius rescripsit. Sane excutiendum divi fratres putaverunt in persona ejus, qui parricidium admisit, utrum simulato²⁷ furore facinus admisisset, an verò revera compos mentis non esset: ut si simulasset, plecteretur: si fureret, in carcere contineretur.

14. MACER, lib. 2, de Judiciis publicis.

Divus Marcus et Commodus Scapulae Tertyllo rescripserunt in haec verba: *Si tibi liquido compertum est, Aelium Priscum in eo furore esse, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat: nec subcurat. datis ab his.* — 9. L. ult. § 1, infr. quod met. caus. gest.—10. L. 57, infr. de oblig. et act.—11. L. 3, § 2, in fin. infr. de testib.—12. Feudor. 55, § 1, in fin.—13. § 7, Inst. de leg. Aquil.—14. L. 123, infr. de reg. jur.—15. L. 9, § 3, infr. locati conduct. l. 8, § 1, infr. ad leg. Aquil.—16. L. ult. in fin. C. de modo militar.—17. L. 45, § 1, infr. de re iudic. junct. l. 13, § 1, infr. de verb. sign.—18. Vide tamen L. 29, infr. de administr. et peric. tutor.—19. L. 46, in pr. infr. de damn. infect. l. 8, in fin. C. de quicquid; l. 4, ult. C. de jure republ. N. 17, c. 4.—20. L. 40, in pr. infr. de iudicis: l. 1, C. admodico et quando judex.—21. L. un. in pr. C. ut omnes iudices.—22. L. 15, in fin. C. de sentent. et interiorib.—23. Vide tamen L. 6, § 2, infr. de manum. et honor.—24. L. 4, § 2, infr. ad leg. Jul. pecul.—25. L. 56, § 1, infr. de furtis.—26. L. 1, infr. de retractorib.—27. L. 6, infr. de curator. furios.

est ulla suspicio, matrem ab eo simulatione²⁸ dementiae occisam: potes de modo poenae ejus dissimulare²⁹, cum satis furore ipso puniatur, et tamen diligentibus custodiendus erit: ac, si putabis, etiam vinculo coercendus: quoniam tam ad poenam, quam ad tutelam ejus, et securitatem³⁰ proximorum pertinebit. Si vero, ut plerumque adest, in intervallis³¹ quibusdam sensu saniore, num forte eo momento scelus admisit, nec morbo ejus danda est venia, diligenter explorabis: et si quid tale compereris, consules nos, ut, aestimemus, an per immanitatem facinoris, si cum posset videri, sentire commiserit, supplicio adficiendus sit. Cum autem ex litteris tuis cognoverimus, tali eum loco atque ordine esse, ut a suis, vel etiam in propria villa custodiatur: recte facturus nobis videris, si eos, a quibus illo tempore observatus esset, vocaveris, et causam tantae negligentiae excusseris: et [in] unumquemque eorum, prout tibi levare vel onerari culpa ejus videbitur, constituas: nam custodes furiosus non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne aliis quoque exitio sint: quod si committatur, non immerito culpae eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio³² suo fuerint.

15. MARCIANUS, lib. 1, de Judiciis publicis.

Illud observandum est, ne qui provinciam regit, fines ejus excedat³³, nisi voti solvendi causa: dum tamen abnotare³⁴ ei non³⁵ liceat.

16. MACER, lib. 1, de officio Praesidis.

Senatusconsulto cavetur, ut de his, quae provincias³⁶ regentes, comites, aut libertinorum, antequam in provinciam venerint, contraxerunt, parcissime jus dicatur: ita ut actiones, quae ob eam causam institute non essent, postea quam quis eorum ea provincia excesserit, restituantur. Si quid tamen invito accidit, veluti si injuriam, aut furtum passus est, hactenus [et] jus dicendum est, ut item contestetur, resque ablata exhibeatur³⁷, et deponatur³⁸, aut sisti, exhibere satisfado promittatur.

17. CELSUS, lib. 3 Digestorum.

Si forte praeses provinciae manumiserit, vel tutorem dederit, priusquam cognoverit³⁹ successorem advenisse, erunt haec rata.

18. MODESTINUS, lib. 5 Regularum.

Plebiscito continetur, [Ut] ne quis praesidum munus, donum caperet: nisi esculentum, poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur.

19. CALLISTRATUS, lib. 1, de Cognitionibus.

Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facile se praebet, sed contemni⁴⁰ non patitur: unde mandatis adjicitur, *Ne praesides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant*: nam ex conversatione aequali contemptio dignitatis nascitur.

§ 1. Sed et in cognoscendo neque exandescere⁴¹ adversus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum inflacrymari oportet: id enim non est constantis et recti iudicis, eorum animi motum vultus deget. Et summatim ita jus reddet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.

20. PAPINIANUS, lib. 1 Responsorum.

Legatus Caesaris, id est praeses, vel corrector provinciae, abdicando⁴² se, non amittit imperium.

21. PAULUS, lib. singulari de officio Adessorum.

Praeses cum cognoscat de servo corrupto, vel ancilla devirginata⁴³, vel servo stuprato: si actor⁴⁴ rerum agentis corruptus esse dicetur, vel ejusmodi homo, ut non solam iacturam adversus substantiam, sed ad totius domus eversionem pertineat, severissime debet animadvertere.

TIT. XIX.

DE OFFICIO PROCURATORIS CAESARIS, VEL RATIONALIS.

1. ULPIANUS, lib. 16, ad Edictum.

Quae acta [gestaque] sunt a procuratore Caesaris, sic ab eo comprobantur, atque si a Caesare gesta sunt.

§ 1. Si rem Caesaris procurator ejus, quasi rem propriam, tradat, non puto eum dominium transferre: tunc enim transfert, cum negotium

28. L. 13, in fin. supr. h. t.—29. L. pen. § ult. infr. ad leg. Pompei. de parricid. adde L. 12, infr. ad leg. Corn. de sicar.—30. L. 7, in pr. infr. de curator. furios.—31. L. 6, C. de curator. furios.—L. 6, C. qui testam. facere.—32. Adde l. 8, C. de offic. praefect. praetor. orient.—33. N. 24, c. 2, vers. Item ut.—34. L. 166, § 1, infr. de verb. sign.—35. N. 28, c. 1.—36. L. 45, infr. de iudicis.—37. L. 7, in fin. infr. qui satisf. cog.—38. Vide tamen L. un. C. de prohib. sequest.—39. L. 12, § 2, infr. de solution.—40. Adde l. 1, in pr. infr. de postul.—41. N. 8, c. 8, N. 17, c. 5, § ult. N. 24, c. 2.—42. L. ult. C. de defensor. civit.—43. L. 6, in pr. infr. ad leg. Jul. de adult.—44. L. 16, in pr. infr. de publican.

Tr. XIX.—1. Adde L. 5, in pr. infr. h. t.—2. L. pen. infr. de auctor. et consens. tut. —

Caesaris gerens, consensu ipsius tradit: denique si venditionis, vel donationis, vel transactionis⁴⁵ causa quid agat, nihil agit: non⁴ enim alienare ei rem Caesaris, sed diligenter gerere commissum est.—§ 2. Est hoc praecipuum in procuratore Caesaris, quod et ejus iussu⁵ servus Caesaris adire hereditatem potest: et si Caesar heres instituat, miscendo se opulentae hereditati⁶ procurator heredem Caesarem facit.

2. PAULUS, lib. 5 Sententiarum.

Quod si ga bona, ex quibus imperator heres institutus est, solvendo non sint: re perspecta, consulitur imperator: heredis enim instituti, in adeundis, vel repudiandis hujusmodi hereditatibus, voluntas exploranda est.

3. CALLISTRATUS, lib. 6, de Cognitionibus.

Curatores Caesaris jus deportandi non habent: quia hujus poenae constitutaenda jus non habent.

§ 1. Si tamen, quasi tumultuosum, vel injuriosum adversus colonos Caesaris, prohibuerint in praedia caesariana accedere, abstinere debent: idque divus Pius Julio rescripsit.—§ 2. Deinde, neque redire cuiquam permittere possunt: idque imperatores [nostri] Severus et Antoninus ad libellum Hermiae rescripserunt.

TIT. XX.

DE OFFICIO JURIDICI.

1. ULPIANUS, lib. 26, ad Sabinum.

Adoptare quis apud iudicum potest: quia data est ei legis actio⁷.

2. Idem, lib. 39, ad Sabinum.

Juridico⁸, qui Alexandriae agit, datio⁴ tutoris constitutione divi Marci concessa est.

TIT. XXI.

DE OFFICIO EJUS, CUI MANDATA EST JURISDICTIO.

1. PAPINIANUS, lib. 1 Quaestionum.

Quaecumque specialiter² lege vel senatusconsulto, vel constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur: quae vero jure magistratus competunt, mandari possunt. Et ideo videntur errare magistratus, qui cum publici iudicii habeant executionem lege vel senatusconsulto delegatam, (veluti legis Juliae de adulteriis, et si quae sunt aliae similes,) jurisdictionem suam mandant. Hujus rei fortissimum argumentum, quod lege Julia de vi nominatim catur, *ut is cui obigerit exercitio, possit eam si proficiscatur mandare*. Non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse coeperit: cum alias jurisdictione etiam a praesente mandetur. Et, si a familia dominus occisus esse dicitur, cognitionem praetor, quam ex senatusconsulto³ habet, mandare non poterit.

§ 1. Qui mandata jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet⁴: sed [et] ejus, qui mandavit jurisdictione utitur. Verius est enim, more majorum jurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium⁵, quod lege⁶ datur, non posse transire: quare nemo dicit, animadversionem legatum proconsulis habere mandata jurisdictione. *Paulus notat*: et imperium⁷, quod jurisdictioni cohæret, mandata jurisdictione transire verius est.

2. ULPIANUS, lib. 3, de omnibus Tribunalibus.

Mandata jurisdictione a praeside, consilium non potest exercere is, cui mandatur.

§ 1. Si tutores vel curatores velint praedia vendere, causa cognita⁸ id praetor vel praeses permittat: quod si mandaverit jurisdictionem, nequam vel poterit mandata jurisdictione eam quaestionem transferre.

3. JULIANUS, lib. 5 Digestorum.

Et si praetor sit is, qui alienam jurisdictionem exsequitur, non tamen pro suo imperio agit⁹, sed pro eo cuius mandata jus dicit, quotiens partibus ejus fungitur.

3. L. 15, infr. de transact.—4. Vide tamen L. 55, L. 59, infr. de procur.—5. L. 46, § 8, infr. de jure fisci.—6. L. 90, in pr. infr. de acquir. vel omit. hered.—7. Tr. XX.—1. Lib. 1, C. ult.—2. La. 4, supr. de adopt.; l. 5, supr. de offic. procons.; l. 1, C. de adopt.—3. L. 41, § 5, infr. de fideicom. libert.—4. 26, Inst. de Atit. tut.—5. Tr. XXI.—1. L. 16, infr. de jure.—2. Adde L. 8, § 18, infr. de transact.; l. 2, in fin. C. de pedan. judic.—3. L. 1, in pr. infr. de SC. Silan.—4. L. 5, infr. h. t.—5. L. ult. § 1, infr. h. t.—6. Pr. hie.—7. L. ult. § 1, infr. h. t.—8. L. 2, C. de offic. ejus, qui vicem alie. judic.—9. L. 1, § 1, supr. h. t.; l. 16, infr. de jure.

4. MACER, lib. 4, de officio Præsidis.

Cognitio de suspectis¹⁰ tutoribus mandari potest¹¹: imo etiam ex mandata generali jurisdictione, propter utilitatem pupillarum, eam contingere constitutum est, in hæc verba: Imperatores Severus et Antoninus, Bradae proconsuli Africæ. Cum propriam¹² jurisdictionem legatis tuis dederis, consequens est, ut etiam de suspectis tutoribus possint cognoscere.

§ 1. Ut [si] possessio bonorum detur: vel, si cui damnatus infecti non caveatur, ut is possidere jubeatur: aut ventris nomine in possessionem mulier, vel is, cui legatum est, legatorum servandorum causa in possessionem mittatur¹³, mandari potest¹⁴.

5. PAULUS, lib. 48, ad Plautium.

Mandatam sibi jurisdictionem mandare alteri non posse manifestum est¹⁵.

§ 1. Mandata jurisdictione privato, etiam imperium, quod non est merum, videtur mandari¹⁶: quia jurisdictione sine modica coercitione nulla est.

TIT. XXII.

DE OFFICIO ADSESSORUM².

1. PAULUS, libro singulari de officio Adessorum.

Omne officium adessoris, quo juris studiosi partibus suis funguntur, in his fere causis constat: in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis.

2. MARCIANUS, libro primo, de Judiciis publicis.

Liberti adsidere possunt³. Infames autem licet non prohibeantur legibus adsidere: attamen arbitror, ut aliquo [quoque] decreto principali referatur constitutum⁴, non posse officio adessoris fungi⁵.

3. MACER, lib. 4, de officio Præsidis.

Si eadem provincia, postea diversa, sub duobus præsidibus constituta est, velut Germania, Mysia: ex altera [ortus, in altera] adsidit: nec videtur in sua provincia adsedisse.

4. PAPINIANUS, lib. 4 Responsorum.

Diem functo legato Cæsaris, salarii comitibus⁷ residui temporis⁸, quod [a] legatis⁹ præstitutum est¹⁰, debetur: modo si non postea comites cum aliis eodem tempore fuerint. Diversum in eo servatur, qui successorem ante tempus accepit.

5. PAULUS, lib. 4 Sententiarum.

Consilium ei tempore quo adsidet, negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est: in alienum autem, non¹¹ prohibetur.

6. PAPINIANUS, libro primo Responsorum.

In consilium curatoris¹² reipublicæ vir ejusdem civitatis adsidere non prohibetur¹³, quia publico salario non fruatur.

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.

DE JURISDICTIONE.

1. ULPIANUS, libro primo Regularum.

Jus dicentis¹ officium latissimum est: nam et bonorum possessionem dare potest, et in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores constituere, judices litigantibus dare.

10. L. 1, § 4, infr. de suspect. tutor.; L. 51, infr. de reb. auct. judic. — 11. Vide tamen L. 1, § 11, infr. ad Sc. Turpill. — 12. Obs. L. 13, supr. de offic. procons. — 13. L. 1, infr. quib. ex caus. in possess. — 14. Obs. L. 4, infr. de jurid.; L. 26, infr. ad municip. junct. L. 1 et L. 4, § 5, infr. de damn. infect.; L. 12, in pr. infr. ad municip.; L. 13, supr. de officio procons. — 15. L. 2, infr. de jurid. — 16. L. 2, infr. de jurid.

Tit. XXII. — 1. L. 1, in fin. infr. h. t. — 2. Lib. 1, c. 51. — 3. Adde L. 2, C. de postal. — 4. L. 2, C. de dignitat. — 5. Adde L. 1, § 8, infr. de postal. Vide tamen L. 7, in pr. infr. de receipt, qui arbit. receper. — 6. Vide tamen L. ult. infr. h. t.; L. 57, infr. ex quib. caus. major. adde L. 38, in pr. d. t. et L. ult. C. de criminum scrib. — 7. L. 16, supr. de offic. præsid. — 8. L. 19, in fin. infr. oct. conduct. — 9. Obs. L. un. C. de præbendo salario. — 10. L. 1, § 8, infr. de extraord. cognit. — 11. Vide tamen L. ult. C. de adessorib. — 12. Adde L. 11, in pr. infr. de pignor. et hypoth.; L. 3, § 4, infr. quod vi aut clam; L. 3, C. de modo mulctar. — 13. L. 10, C. de adess.; L. 37, L. 38, in pr. infr. ex quib. caus. major.

2. JAVOLENUS, lib. 6, ex Cassio.

Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur², sine quibus jurisdictio explicari non potuit.

3. ULPIANUS, lib. 2, de officio Quæstoris.

Imperium aut merum [est] aut mixtum est. Merum est imperium, habere gladii³ potestatem ad animadvertendum facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum est imperium, cui etiam jurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Jurisdictio est etiam iudicis dandi licentia.

4. Idem, lib. 1, ad Edictum.

Jubere caveri prætoriam stipulatione⁴, et in possessionem mittere, imperii magis⁵ est, quam jurisdictionis.

5. JULIANUS, lib. 4 Digestorum.

More⁶ majorum ita comparatum est, ut is demum jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno⁷ beneficio haberet.

6. PAULUS, lib. 2, ad Edictum.

Et quia nec principaliter ei jurisdictio data est, nec ipsa lex defert, sed confirmat mandatam jurisdictionem: ideoque si is, qui mandavit jurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est jurisdictio, geri coeperit, solvi mandatam Labeo ait, sicut in reliquis causis.

7. ULPIANUS, lib. 3, ad Edictum.

Si quis id, quod jurisdictionis perpetuæ causa, non quod, prout res incidit, in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit; datur in eum quingentorum aureorum iudicium, quod populare est.

§ 1. Servi quoque, et filifamilias verbis edicti continentur. Sed et utrumque sexum⁸ prætor complexus est. — § 2. Quod si dum proponitur, vel ante propositionem quis corruperit, edicti quidem verba cessant, Pomponius autem ait sententiam edicti porrigendam esse ad hæc.

— § 3. In servos autem, si non defenduntur a dominis, et eos, qui inopia laborant, corpus torquendum⁹ est. — § 4. Doli mali autem ideo in verbis edicti fit mentio, quod si per imperitiam vel rusticitatem, vel ab ipso prætoris jussus, vel casu aliquis fecerit, non tenetur. — § 5. Hoc vero edicto tenetur et qui tollit, quamvis non corruperit: item qui suis manibus facit; et qui alii mandat¹⁰: sed si alius sine dolo malo fecit, alius dolo malo mandavit; qui mandavit, tenebitur: si uterque dolo malo fecerit, ambo tenebuntur: nam et si plures fecerint, vel corruperint, vel mandaverint, omnes¹¹ tenebuntur.

8. GAIVS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Adeo quidem, ut non sufficiat¹², unum eorum penam luere.

9. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Si familia alicujus album corruperit: non¹³ similiter hic edicitor, ut in furto, ne in reliquos actio detur, si tantum dominus, cum defendere voluit, unius nomine præstiterit, quantum liber¹⁴ præstaret: fortasse, quia hic et contempta majestas¹⁵ prætoris vindicatur, et plura facta intelliguntur: quemadmodum cum plures servi injuriam fecerunt, vel damnum dederunt¹⁶, quia plura facta sunt, non, ut in furto, unum. Octavenus hic quoque domino succurrendum ait: sed hoc potest dici, si dolo malo corruerint, ut ab alio album corrumperetur: quia tunc unum consilium sit, non plura facta, idem Pomponius libro decimo notat.

10. ULPIANUS, lib. 5, ad Edictum.

Qui jurisdictioni præest, neque¹⁷ sibi jus dicere debet¹⁸, neque uxori, vel liberis¹⁹ suis, neque libertis, vel cæteris, quos secum habet.

11. GAIVS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum singularum quantitas²⁰ intra jurisdictionem judicantis sit, cocervatio²¹ vero omnium excedat modum jurisdictionis ejus, apud eum agi posse Sabino, Cassio, Proculo placuit: quæ sententia rescripto imperatoris Antonini confirmata est.

§ 1. Sed et si mutuae²² sunt actiones, et alter minore quantitate,

Tit. I. — 1. L. 12, infr. de vulg. et pupill. substit. — 2. L. 5, in fin. infr. de offic. ejus, cui mandat. Adde L. 6, infr. de aliment. vel eibar. legat. — 3. L. 6, § 8, supr. de offic. præsid. — 4. L. 1, § 4, § 3, infr. de damn. infect.; L. 26, in pr. infr. ad municip. — 5. Vide tamen L. 4, § 1, supr. de offic. ejus, cui mandat. — 6. L. pen. in fin. supr. de justit. et jur. — 7. L. 5, C. de judiciis. — 8. L. 195, in pr. infr. de verb. sign. — 9. L. 1, in fin. infr. de pen.; L. 6, in fin. C. de sepulchro violat. — 10. L. 1, § 1, infr. de eo per quem fact. — 11. L. 21, § 9, infr. de furt. — 12. L. 5, § 3, infr. ne quis eum qui in jus. — 13. Immo vide L. 32, in pr. infr. ad leg. Aquil. — 14. L. 1, in fin. pr. infr. si famil. fact. fec. — 15. L. pen. in fin. supr. de justit. et jur. — 16. Coniunge L. 37, in pr. infr. ad leg. Aquil. et L. 1, § pen. infr. si famil. fact. fec. — 17. C. lib. 5, tit. ne quis in sua causa judicet. — 18. L. ult. § pen. C. ubi tenetur, vel dicitur. — 19. Vide tamen L. 77, infr. de judiciis. — 20. Adde L. 19, in fin. infr. h. t.; L. 1, C. de defensorib. citat. N. 15, e. 5, § ult. — 21. Adde L. 74, § 1, infr. de judiciis; L. 25, infr. ad municip. et § 1, infr. lic. — 22. L. 1, C. rer. amotar.

alter majorem petat: apud eundem²³ iudicem agendum est ei, qui quantitatem minorem peti: ne in potestate calumniosa adversarii mei sit, an apud eundem litigare possim. — § 2. Si una actio communis²⁴ sit plurium personarum, velati familie heriscunde, communi dividendo, finium regundorum: utrum singula partes spectanda sunt circa jurisdictionem ejus, qui cognoscit; quod Ofilio, et Proculo placet: quia unusquisque de parte sua litigat? an potius tota res; quia et tota res in iudicium venit, et vel uni adjudicari potest? quod et Cassio et Pegaso placet: et sane eorum sententia probabilis est.

12. ULPIANUS, lib. 18, ad Edictum.

Magistratibus municipalibus supplicium a servo sumere non licet: molica autem castigatio²⁵ eis non est deneganda.

13. Idem, lib. 51, ad Sabinum.

Eum, qui iudicare jubet, magistratum²⁶ esse oportet. § 1. Magistratus autem, vel is, qui in potestate aliqua sit [ut puta proconsul, vel prætor, vel alii qui provincias regunt], iudicare jubere eo die, quo privati futuri essent, non possunt²⁷.

14. Idem, lib. 59, ad Edictum.

Est receptum, eoque jure utimur, ut si quis major, vel æqualis²⁸ subiciat se jurisdictioni alterius²⁹: possit ei, et adversus eum jus dici.

15. Idem, lib. 2, de omnibus Tribunalibus.

Si per errorem³⁰ alius pro alio prætor fuerit aditus, nihil valet, quod actum est: nec enim ferendum est, qui dicat, consensisse eos in præsidium: cum [ut Julianus scribit], non consentiant³¹, qui errent. Quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit?

16. Idem, lib. 3, de omnibus Tribunalibus.

Solet prætor jurisdictionem mandare: et aut omnem mandat, aut speciem unam: et is, cui mandata jurisdictione est, fungetur vice ejus qui mandavit, non sua.

17. Idem, lib. 4 Opinionum.

Prætor, sicut universam jurisdictionem mandare alii potest, ita et in personis certas, vel de una specie potest: maxime, cum justam causam³² susceptæ ante magistratum advocacionis alterius partis habuerat.

18. AFRICANUS, lib. 7, Questionum.

Si³³ convenerit, ut alius prætor, quam cuius jurisdictione esset, jus diceret: et priusquam adiretur, mutata voluntas fuerit: proculdubio nemo³⁴ compelleret ejusmodi conventioni stare.

19. ULPIANUS, lib. 6 Fideicommissorum.

Cum quædam puella apud competentem iudicem litem susceperat, deinde condemnata erat, posteaque ad viri³⁵ matrimonium alii jurisdictioni subjecti pervenerat: quærebatur, an prioris iudicis sententia exequi possit? Dixi posse, quia ante fuerat sententia dicta. Sed et si post susceptam cognitionem, ante sententiam, hoc eveniet, idem putarem: sententiamque a priore iudice recte fertur. Quod generaliter et in omnibus hujuscemodi casibus observandum est.

§ 1. Quotiens [de] quantitate ad jurisdictionem pertinente quaeritur, semper, quantum petatur quaerendum est, non quantum debeatur³⁶.

20. PAULUS, lib. 1, ad Edictum.

Extra territorium³⁷ jus dicenti³⁸ impune non paretur. Idem est, et si supra jurisdictionem suam velit jus dicere.

TIT. II.

QUOD QUISQUE JURIS IN ALTERUM STATUERIT², UT IPSE EODEM JURE UTATUR.

1. ULPIANUS, lib. 5, ad Edictum.

Hoc edictum³ summam habet æquitatem; et sine cuiusquam indignatione justa. Quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effectum?

§ 1. Qui magistratum potestatemve habebit, si quid in aliquem novi juris statuerit: ipse, quandoque adversario postulante eodem jure uti

23. L. 22, infr. de judic. et tit. infr. de quib. reb. ad eund. iudicem eatur. — 24. L. 2, § 5, infr. famil. erisc. — 25. L. 15, § 39, infr. de injur. — 26. Adde L. un. in fin. C. qui pro suo jurid. — 27. Vide tamen L. 49, § 4, infr. de judic. — 28. L. 13, § 4, infr. ad Sc. Trebell. — 29. Obs. L. 13, § 1, infr. de manumis. vind. — 30. L. 80, infr. de judic. — 31. L. 116, in fin. infr. de reg. jur. Obs. L. 1, § 11, infr. ad leg. Falcid. — 32. L. 6, in pr. C. de postal. — 33. L. 2, § 11, L. 74, § 1, infr. de judic. — 34. Obs. L. 29, C. de pactis. — 35. L. 32, infr. ad municip. — 36. L. 11, § ult. supr. h. t. — 37. d. L. 11, in pr. supr. h. t. — 38. L. 1, C. si a non competente iudicet; L. 53, C. de decurion. — Tit. II. — 1. 2, Feud. 53, § 1, Fac. L. ult. C. de fruct. et lit. extens. L. 5, in fin. infr.

debet. Si quis apud eum qui magistratum potestatemque habebit, aliquid novi juris obtinuerit, quandoque postea adversario ejus postulante, eodem jure adversus eum decernatur: scilicet, ut quod ipse [quis] in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur⁴. — § 2. Hæc autem verba, quod statuerit, [qui jurisdictioni præest], cum effectu⁵ accipimus, non verbotenus: et ideo, si quum vellet statui, prohibitus sit, nec effectum decretum habuit, cessat edictum. Nam statui verbum rem perfectam significat, et consummatam injuriam, non cœptam. Et ideo si inter eos quis dixerit jus, inter quos jurisdictionem non habuit, quoniam pro nullo hoc habetur, nec est ulla sententia, cessare edictum putamus: quid enim offit⁶ conatus, cum injuria nullum habuerit effectum?

2. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Hoc edicto dolus debet jus dicenti puniri: nam si adessoris imprudentia jus aliter dictum sit quam oportuit: non debet hoc magistratui officere, sed ipsi adessori.

3. ULPIANUS, lib. 3, ad Edictum.

Si quis iniquum [ad edictum] jus adversus aliquem impetravit: eo jure utatur ita demum, si per postulationem ejus hoc venerit: ceterum si ipso non postulante, non coercetur: sed et si impetravit, sive usus est jure aliquo, sive impetravit, ut uteretur, licet⁷ usus non sit, hoc edicto punitur.

§ 1. Si procurator meus postulavit: quaeritur, quis eodem jure utatur: et putat Pomponius, me solum: utique, si hoc ei specialiter mandavi, vel ratum habui. Si tamen tutor, vel curator furiosi postulaverit, vel adulescenti, ipse hoc edicto coercetur. Item adversus procuratorem id observandum est, si in rem suam fuerit datus. — § 2. Hæc poena adversus omnem statuitur, qui in edictum incidit; non solum eo postulante, qui ab eo læsus est; sed omni qui quandoque experitur. — § 3. Si is pro quo spondidisti, impetraverit, ne aliquis debitor ipsius adversus eum exceptione utatur: deinde tu in negotio, in quo spondidisti, velis exceptione uti, nec te, nec ipsum oportet hoc impetrare: etsi interdum patiaris⁸ injuriam, si solvendo debitor non sit. Sed si tu incidisti in edictum: reus quidem utitur exceptione, [tu] non utaris, nec poena tua ad reum promittendi pertinebit: et ideo mandati actionem non habebis. — § 4. Si filius meus in magistratu in hoc edictum incidit: an in his actionibus quas ex persona ejus intendo, huic edicto locus sit? Et non puto: ne mea conditio deterior fiat. — § 5. Quod autem ait prætor, ut is eodem jure utatur, an etiam ad heredem hæc poena transmittatur? Et scribit Julianus, non solum ipsi denegari actionem, sed etiam⁹ heredi ejus. — § 6. Illud quoque non sine ratione scribit, non solum in his actionibus pati eum penam edicti, quas tunc habuit, cum incidit in edictum, verum si qua postea ei adquirentur. — § 7. Ex hac causa solum repeti non posse Julianus putat: superesse enim naturalem¹⁰ causam, qua inhibet repetitionem.

4. GAIVS, lib. 1, ad Edictum provinciale.

Illud eleganter prætor excepit, præterquam si quis eorum contra eum fecerit, qui ipse eorum quid fecisset: et recte: ne scilicet vel magistratus, dum studet hoc edictum defendere, vel litigator, dum vult beneficio hujus edicti uti, ipse in penam ipsius edicti committat.

TIT. III.

SI QUIS JUS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT.

1. ULPIANUS, lib. 1, ad Edictum.

Omnibus magistratibus, non tamen duumviris, secundum jus potestatis suæ concessum est jurisdictionem suam defendere penali iudicio.

§ 1. Is videtur jus dicenti non obtemperasse, qui quod extremum in jurisdictione est, non fecit: veluti, si quis rem mobilem vindicari a se passus non est, sed duci eam, vel ferri passus est: ceterum, si et sequentia recusavit, tunc non obtemperasse videtur. — § 2. Si procurator tuus, vel tutor, vel curator jus dicenti non obtemperavit: ipse punitur, non dominus, vel pupillus. — § 3. Non solum autem reum, qui non obtemperaverit, hoc edicto teneri Labeo ait: verum etiam petentem. — § 4. Hoc iudicium, non ad id quod interest¹, sed quanti ea res est, concluditur: et cum meram² penam continet, neque post annum, neque in heredem datur.

mandati: L. 7, C. de rescind. vendit.; L. 13, C. de Judic.; L. 6, C. de question. — 2. Adde L. 1, in fin. pr.; L. 5, § 1, infr. h. t. — 3. L. 44, in fin. infr. de pact. L. 59, infr. de admin. et peric. tut.; L. ult. C. de sportul. — 4. Excep. § 2, L. 2, L. 3, in pr.; L. ult. infr. h. t. — 5. L. 5, § 2, in fin. infr. ne quis eum, qui in jus. — 6. Excep. L. 3, in fin. pr. infr. h. t.; L. 12, infr. ad leg. Corn. de sicar. — 7. L. 3, § 1, infr. de calumni.; L. 2, in fin. supr. h. t. — 8. L. 88, infr. de verb. oblig. — 9. Adde L. 33, infr. de oblig. et act. — 10. L. 13, in pr.; L. 19, in pr.; L. 26, § 12; L. 64, infr. de condic. indeb. — Tit. III. — 1. L. 5, § 1, infr. ne quis eum, qui in jus. — 2. L. 7, § 1, infr. quod falso tutore auct. gest. d. L. 5, 2, 2.